



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

16. Diuinæ eius reuelationes, raptusque in Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

CAPVT. XVI.

*Diuina eius reuelationes, raptusque
in Deum.*

Sed quid mirum tam studiosum orationis fuisse, cum in ea sic Deo fruere, ut in eius contemplationem penitus absorberetur, toties diuina quadam luce ac specie collustraretur? Nam cum primum ex vulnere æger decumberet antequam è sæculi vanitate ereptus ad Deum conuerteretur, idem Deus singulari beneficio, apostolum Petrum, ut diximus, ad eum sanandum misit, tum cum in maximum salutis discrimen vocaretur.

Reuelationes et diuinitus factas.

S. Petrus eius appareret.

Posteaquam verò ad Christi ductum se applicauisset, cum infirmitas virium laboribus impar in mentem veniret, illustrissima supremaque Angelorum Regina ac Domina Filium suum complexa nocte quadam ei vigilanti videndam se præbuit, eumque claritatis suæ splendore perfudit, dulcedine præsentis recreauit, confirmauitque, & cunctas turpium rerum imagines

Item B. Virgo.

E 4 gines

gines veluti spongiâ quadam ex eius cogitatione deleuit.

Dum Minoreffæ confisteret acerbissimæ pœnitentiæ, de qua diximus, studio deditus, superatis vehementissimis oppugnationibus dæmonum scrupulisque quibus grauissimè agebatur, affuit ei Deus eiusque diuinis solatiis mentem erexit. Cùm enim in gradibus ædis S. Dominici precatio- nes in honorem B. Mariæ horarias recitaret, eius intelligendi vim tanto derepente lumine illustrauit, vt quan- dam ei sanctissimæ Trinitatis repræ- sentaret imaginem, quo veluti signo exteriori speciem illam explicaret, quam clarius intelligendo concepe- rat: quæ res tanta eum consolatione permulfit, vt singultum & lacrymas continere non posset, nec quidquam libêret nisi de hoc mysterio cogitare vel dicere. Ad quod aperiendum tot afferebat similitudines & exempla, vt omnes audientes obstupescerent. Atque illud eius animo iam tum sic im- pressum atque inustum inhæsit, vt illicò libellum de hac materia octo- ginta

Reue-
latur ei
imago
quæ-
dam
SS. Tri-
nita-
tis.

ginta

ginta fere paginarum scribere sit aggressus, tametsi rudis adhuc & illiteratus nihil nisi elementa formare ac legere didicisset.

Ex eo tempore tantam intelligentiam sanctissimæ Trinitatis, essentiæ diuinæ, distinctionis & proprietatis Personarum adeptus est, tam continuam, excellentem & abstractam à sensibus, ut idem ipse in auctographo libello, qui post mortem eius repertus est, dicat, fieri non potuisse ut vel multorum annorum studiis parem consequeretur. In alio item scriptum reliquerit, videri sibi in hac vita maiorem se habere non posse, eâ quam sibi Deus in quadam visione patefecisset. Iterum autem cum Minorellam redisset, viam & rationem magno animi sui gaudio videre sibi visus est quam Deus in fabricando mundo tenuisset.

Aliàs cum sacrosancto Sacrificio apud Dominicanos interesset, hostiaque sacra tolleretur, oculis mentis clarè perspexit, verè sub figura panis Christum verum Deum & hominem contineri. Inter orandum frequentius

Christum
in sacra
hostia cõ-
templatur;

Videt
sacram
Christi
huma-
nita-
tem
Virgi-
nem-
que
Deipa-
sam,

A Deo
illumi-
natur
atque
instrui-
tur.

& diutius iisdem oculis sacram Chri-
sti seruatoris humanitatem vidit, non-
nunquam sacratissimam Virginem
Mariam eius Matrem, non Minoreſſæ
ſolùm, ſed etiam in agro Patauij ſu-
burbano, Hieroſolymis, aliisque locis
compluribus. Egreſſus aliquando Mi-
noreſſa ad orandum in æde ſacra
quarta milliarij parte à vico diſtante,
cùm inter contemplandum Deum
alienaretur à ſenſibus, ſedit in ripa
fluuioli qui iter illud interſecat. Ibi
oculis in præterfluentem coniectis
aperiti ſunt ei oculi mentis, nouaque
& inuſitata luce illuſtrati, non eo mo-
do quo ſpeciem aut imaginem ſub
ſenſum cadentem videret, ſed nobi-
liori ac ſublimiori, quique ſola mente
percipi poſſit. Illuminatus hac luce
multa clariffimè perſpexit quæ ſunt
myſteriorum fidei & cognitionis
ſcientiarum, ita vt res eadem quas
antea cognitione percepiffet, aliz
poſtea diuerſæque viderentur.

Et quidem ſopor ille ſenſuum ani-
mique diuinitus illapſa ſuſpenſio, ſatis
longa fuit atque diuturna. Sed illud
mirabi-

mirabilius, quod ei Minorellæ adhuc
 agenti contigit. Nam die quodam
 sabbathi sub horam completorij, offi-
 cio sensuum ita destitutus fuit, vt mor-
 tuus à plerisque iudicaretur, fuissetque
 corpus sepulturæ mandatum nisi ani-
 maduersum fuisset cor quamuis leui-
 ter palpitare. Hæsit in hac alienatione
 sensuum vsque ad sabbathum inse-
 quētis hebdomadæ, eandemque com-
 pletorij horam. Tum præsentibus iis
 qui eum frequentes seruabant, oculos
 aperuit quasi è suauissimo gratissimo-
 que somno excitatus, lenique atque
 amabili voce IESV nomen appellauit.
 Hæc ex iis cognouimus partim qui
 rem gestam viderunt, partim qui ab
 iis qui viderant audiuerunt.

Singularis atque eximia fuit & illa
 species quam ingressurus in urbem
 Romam vidit, vt diximus, cum in sa-
 cra quadam ædicula precanti Pater
 æternus ei se videndum exhibuit cum
 Filio humeris crucem ferente, atque
 hanc suauissimam vocem protulit:
Ego vobis Roma propitius ero. Cùm esset
 in monte Cassino, vbi D. Benedictus
 vidit

Octo
 dierum
 extasis

Greg.
2. dial.
c. 35,

Ani-
mam
Hosij
in cæ-
lum
cūtem
videt.

vidit animam S. Germani Episcopi
Capuani ab Angelis in cælum igneo
in globo deduci, vt auctor est S. Gre-
gorius, B. Pater animam Baccalaurei
Hosij focij sui, quem Venetias itineris
comitem habuerat, adscendentem in
cælum conspexit eamque agnovit, qui
& is quidem Patauij defunctus, vbi
cum P. Ioanne Codurio versabatur,
ad feliciorē vitam migravit.

Cū idem P. Ioannes Codurius
Romę decessit è vita, eo die quo me-
moria gloriosę mortis B. Ioannis Bap-
tistę recolitur anno CIO. IO. XLI. B.
Pater paulo ante eius mortem, ad
cœnobium S. Petri trans Tyberim in
aureo monte, pro ægro sacris operatu-
rus concesserat; at ecce cum pontem
Sixtinum transfret, vidit coruscantem
eius animam subuolantem in cælum,
& ad comitem vię P. Ioannem Bap-
tistam Violam, (qui pòst hoc ipsum
mihi narrauit) conuersus: Hūi, inquit,
P. Ioannes Codurius efflauit animam.
P. Leonardus Kesselius natione Belga
vir in Societate nostra senex & sanctus
fuit, & omnium iudicio talis. Eum
ipse

Item
animā
P. Co-
durij.

ipse Coloniae noui, ubi prima collegij nostri fundamenta iecit; quod deinde summa laude & sanctitatis gloria multis annis administravit: Hunc ergo magnum quoddam & inusitatum desiderium cum teneret videndi potiundique colloquio B. P. Ignatij, litteras ad eum dedit quibus petebat ut sibi Colonia Romam pedibus ire liceret, plus trecentis milliariis Gallicis inde distantem, tantummodo ut in eius aspectum sanctissimosque sermones veniret.

Respondit B. Pater eius praesentiam Coloniae propter aliorum utilitatem necessariam esse, propterea ne de statione decederet, Deum fortasse via magis facili & expedita sui videndi copiam daturum. Igitur die quadam P. Leonardo Coloniae vigilantibus apparuit viuus adhuc & spirans Beatus Ignatius, cum eoque satis longo sermone differuit, post autem visione subtracta hominem mirum in modum exultantem gaudio reliquit, quod ei rem tam expeditam consequi tam admirabiliter contigisset. Ioannes Paschas

Etiam-
num
uiuens
Romae]
P. Leo-
nardo
Kesse-
lio Coe-
loniae
appa-
ret.

Paschalis filius Agnetis Paschalis.
 Quotidie primum sacrum audire con-
 sueuerat, quod Barcinone in sacello
 B. Eulaliæ sub ara principe maioris
 ecclesiæ fiebat, huic paucis annis à
 morte B. Pater ante eandem aram
 maximam astitit, quem ubi Paschalis
 agnouit, ah Pater mi inquit, volen-
 temque propius accedere, B. Pater,
 indicio manus prohibuit, & ex oculis
 eius sese repente subduxit. Alia huius
 generis sexcenta breuitatis causa præ-
 mittenda duximus. Sed quod ma-
 gis in admirationem nos egit qui eum
 noueramus, & eo familiariter uteba-
 mur, illud est, cum diuina in eum be-
 neficia quæ diximus quotidiana essent
 & vsitata, vt ea quæ scripsit inter con-
 stituendas Societatis nostræ leges, &
 quæ post eius mortem inuenta decla-
 rant, quod nunquam tamen ex eius
 ore verbum vel visionis, vel alienati
 à sensibus animi ceterarumque eius-
 modi rerum nisi adedò rarò & parcè,
 vt nobis miraculi instar esset, exiisse
 cognouimus: è contrario verò demis-
 sionem animi, caritatem, patientiam,
 despi-

despicientiam sui ipsius propter Dei gloriam, suscipiendos pro salute animarum labores, orationem, domandas libidines, appetitiones cohibendas, & ceteras eiusmodi virtutes, ut magni ducebat, ita frequenti sermone usurpabat. His enim sancti sumus, & amicitiam cum Deo iungimus, illa verò quamuis in speciem sublimiora nobilioraque sint, somnia sunt tamen, neque perpetua sanctitatis & diuinæ gratiæ argumenta.

CAPVT. XVII.

Radij quidam sanctitatis è facie eius emittant, donoque prophetiæ ornatur.

NEque verò huius B. Patris anima, tantum cælesti luce de qua diximus, illustrabatur, verum etiam aliquid ex eius lucis plenitudine sic redundabat in corpus, ut etiam nonnulli os eius luce refulgere, & ex eo radios emitti sæpe conspexerint. Hoc se vidisse Barcinone confirmavit Elisabetha Rosella, cum Pater, ut supra meminimus, in gradibus altaris ederet inter